

A P O L O G I A
P R O
D E C L A R A T I O N E
R E M O N S T R A N T I V M,
contra Censuras quatuor Theologorum
Leydensum.

I n t r o d u c t i o ad L e c t o r e m C h r i s t i a n u m .



UÆ omnium seculorum, eadem huius nostri calamitas est. Miserrima ferè est conditio eorum, qui veritati contra errores inveteratos, & innocentiae contra criminationes publica autoritate & vi armatas patrocinium suum commodant. Fieri vix potest, quin in diras obtrectationes incident, ac tandem, quomodocunque se gerant, publici odij victimæ fiant. Nec silendo se probant, nec scribendo se purgant. Silentium eorum aut tacita culpæ confessio, aut perfida causæ desertio esse creditur. Scripta eorum vix nata, aut opprimit violentia, aut infamat calumnia. Quorum interest, ne ea pluribus adlubescant, ij ea aut in ipso partu velut infelices & communi suffragio damnatos fetus suffocant, aut censuris suis veluti stigmatis inusta publicæ infamiæ prostituunt. Nempe ab ipsis deinde abhorret populus, veluti a monstris & infamibus ac mali ominis prodigijs. Et raro deest species ijs, quibus publica autoritas & vis patrocinantur. Quicquid volunt, id scriptis ipsis penè cum cauterio inuruunt, ut deleri vix possit sine cicatricis macula. Suspicio advocat ingenium, calumnia adhibet fucum, & utrique mantellum circumdat, roburque addit autoritas publica. Hinc fit, ut qui Confessiones semel scribere incipiunt, de scribendis fine fine Apologias cogitare opus habeant. Apologia deinde Apologiam trudit, uti fluctus fluctum. Nihil tam recte scribi potest, tā innoxie defendi, tā candidè fuggeri, quod suspicio malesana nō detorquet in peius, & liuor morbi suo, non maculat ac confundat. Hinc Apologiarum ac Declarationum nec modus nec finis.

A

Ex-